



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 2. An & qualis oratio est præcepta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

Nam adoratio debet esse commensurata excellentiæ, cum propter illam exhibeatur. 2. Christi, B. Virginis, & Sanctorum imagines, & Reliquias colendas esse cultu relativo proportionato personæ, cujus sunt. Adoratio enim imaginis consistit in signo aliquo externo submissionis, ac reverentiæ exhibito imagini propter excellentiam prototypi, ad testificandum submissionem nostram internam erga ipsum prototypum, hujusque excellentiam ac superioritatem agnoscendam, ex Trid. Sess. 25.

Q. 2. An & qualis Oratio est precepta?

Not. Oratio latè est Ascensio mentis in Deum: sive quivis pius animæ motus, seu affectus in Deum, qualis est actus Fidei, Spei, Amoris, laudis, gratiarum action, &c. Strictè sumpta est petitio decentium Deo facta sive immediatè, sive mediante Sanctorum intercessione. Duplex est oratio, scilicet mentalis, quæ fit sola mente: & vocalis, quæ non solum mente fit, sed etiam voce exprimitur. Hæc dividitur in privatam, quæ fit à persona privata, ac privato nomine: & in publicam, quæ fit à Communitate, vel à Ministro nomine Communitatis: hinc recitatio Breviarii, privatim à Clerico facta, est oratio pub-

publica; quia nomine Ecclesiæ, & tanquam ejus legatus eam fundit.

Resp. 1. Oratio frequens est omnibus adultis præcepta. Prob. 1. Luc. 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* Hoc est, oportet orare frequenter, & perseveranter. &c. c. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, & stare ante Filium hominis.* 2. Quia sine oratione debita non obtinentur auxilia omnia necessaria ad observanda omnia mandata, & ad vincendas tentationes, ex Jac. 4. *Non habetis, propter quod non postulatis: & imprimis donum perseverantiæ non est præparatum adultis nisi orantibus, ut docet S. August. l. de bon. Persever. c. 16.* Quare Catechism. Roman. ait: *preces tanquam instrumentum necessarium nobis dedit (Deus) ad id, quod optaremus consequendum, præsertim cum quadam esse constet, quæ nisi Ejus adjumento, non liceat impetrare.*

Hinc oratio est adultis necessaria etiam necessitate mediæ ad salutem, cum Deus statuerit non dare gratiam perseverantiæ, & alia quædam necessaria, nisi orantibus.

Præceptum autem orandi obligat in gravi necessitate, ac tentatione propria, vel proximi, & sæpissime in vita, quia continuo Dei auxiliò egemus, & ad illud obti-

nen-

nendum instituta est oratio tanquam medium ordinarium.

Resp. 2. Oratio debet esse pia, & honesta: alioquin non esset actus Religionis, nec cultus Dei. Ut talis sit, debet fieri cum intentione, attentione, fide, fiducia, humilitate, devotione, decenti, ac pia corporis compositione, & de rebus necessariis, vel conducentibus ad salutem, & ad gloriam Dei: ita, ut res de se indifferentes non petantur, nisi quatenus ex Dei ordinatione, & cum eius gratia possunt conferre ad eius gloriam, & salutem nostram. Porro mortale est petere à Deo rem malam etiam venialiter, vel auxilium ad illam: quia in hoc est gravis irreverentia in Deum, quasi esset author vel fautor peccati.

*Q. 3. Quinam obligantur ad Horas
Canonicas?*

Not. Horæ Canonicae sunt Oratio vocalis, publica auctoritate Prælatorum Ecclesie constituta, ut quotidie certis horis nomine Ecclesie recitetur, ad laudandum, & precandum Deum.

Resp. Secundum omnes Doctores, ad eas sub mortali singulis diebus obligantur. 1. Omnes insigniti aliquo ex sacris ordinibus, etsi non Beneficiati; imò etiam excommunicati, & degradati, cum nul-